



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Sortes, Qvibvs, Ne Temere Cadant, Temperandis; Vel, Si  
Temere Dvcvntvr, Castigandis, Divini Ivdicii Æqvitas  
Semper Adest**

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1645**

§. 14. Quinam maximè formidare debeant, ne illis, coram Numine summo,  
de iure concurrendum sit?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52306](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52306)

appello; tuo me iudicio seruo; tibi committo  
causam meam. Domine Deus Sabaoth, qui  
iudicas iuste, & probas renes & corda: cuius  
oculi, sicut fallere nolunt, ita falli non possunt.  
itaque arbiter meus, Domine IESV, de vultu  
tuo iudicium meum prodeat. Oculi tui videant  
aquitatem; videant, & iudicent. Illi ergo ipsi,  
quibus amara est memoria mortis, qui semper  
in his terris optarent viuere, caueant, ne  
alios cogant ita orare, & illos ad diuinum  
tribunal, ex hac vita, ante terminum &  
tempus, à natura, ab ipso alioqui Deo con-  
cessum, euocare. Esto iudices, esto Duces,  
esto Principes, esto Cardinales, esto Impe-  
ratores, esto summi Pontifices sint: *Tros  
Rutulusue fuit, nullo discrimine habebit*, qui  
non personas, sed acta solet ad censuram  
vocare, Deus.

ep. 1. ad  
Rober-  
tum.

§. XIV.

*Quinam maxime formidare debeant, ne illis,  
coram Numine summo, de iure concur-  
rendum sit?*

Hæc dum ita disputo, scitis, quorum pe-  
culiariter animis incidat met<sup>9</sup> tacitus? Con-  
scientia similis culpæ, parem exitum for-  
midat. Certè si, qui paria antehac ausi sunt,  
non habuere pares citatores; tamen paria

K 4

ausu-

ausuri in metu esse debent, ne & illis Deus iratus vitæ filum incidat. Quinam ergo ex hoc censu sunt? Ex enumeratis historijs id possumus cognoscere. 1. Qui, Saulis instar, æmulatus agunt, & ob virtutis excellentiam, Dauides suos volunt habere occisissimos. 2. Qui beneficiorum immemores, sicut rex Ioas, Zachariam interficiunt (hoc est, eum, qui ab impietate dehortatur) & filios eorum, quorum benignitate ipsi viuunt. 3. Antiochi iniqua imperantes, & tormentis perdentes eos, qui iniqua exequi recusant. 4. Alexandri à fide deficientes, qui eos violentissimè persequuntur, à quibus, in fide, & omni genere disciplinarum, sunt eruditi. 5. Qui Bennoni, qui alijs Ecclesiæ Præsulibus, qui ipsis Ecclesijs sua eripiunt, nec verentur, Dei seruis colaphos infringere, atq; ora illa sacrilegè contundere, quibus docentur, Deo danda & restituenda, quæ Dei sunt. 6. Qui Gualteros, qui Robertos, viros doctos, & innocentes, in gratiam calumniatorum, & eorum, qui iugum omne legum ac obedientiæ excutientes, quiduis, contra Superiores, confingere non verentur, inauditos iudicant, damnant, exauctorant. Apud quos vilis-

1. Reg. 14.  
13.

2. Paral.  
24. 23.

2. Mach.  
7. 17.

2. Tim. 4.  
25.

vilissimi adultores plus valent, quàm aliorum sinceritas & iustitia. Qui deniq;, quantum quidem penes illos est, notæ alioqui, & probatæ virtutis viros sepeliunt, vt Trof-fulis suis locum faciant regnandi. Et ferunt isti Gualteri æquo animo, quod ferunt: sepulchro tamen illorum inscribitur: A D I V S T V M D E I I V D I C I V M A P P E L L O. Non possunt enim isti minimè Innocentij, & minimè Clementes iudices à se pressorum, sine stimulo conscientia, meminisse: quoties præcipitata sententiæ suæ recordantur, vident ab ea A D I V S T V M D E I I V D I C I V M A P P E L L A R I, damnatúmque innocenter, vel de tenebris suis clamare: VENI, MISER, AD IVDICIVM. 7. Agrestij, qui ipsis mortuis, de quibus bene loquendum est, ipsis Diuis non parcunt, & tunc demùm eorùm nomē subhastant, quando se iam ampliùs defendere non possunt. 8. Qui ipsi Deo nō seruiunt Deoq; seruire cupientes, cum Leodiensi Præposito, ex ipsis monasterijs retrahunt. 9. Qui Menuercos religiosam disciplinam restaurare nitentes contumelia affectos reiiciunt. Neq; enim, inter ipsos quoq; Religiosos desunt, qui vadamonijs eiusmodi digna perpetrent, vt

Monachi illius exemplo est comprobatum,  
 9. Belli Duces, qui, etsi magnam habent  
 potestatem, ac sæpe etiam seueritatis ne-  
 cessitatem; tamen si homines, tanquam be-  
 stias habeant, si pro quouis verbo, arbori  
 infelici milites suspendant; scire debent, e-  
 tiam militum à Deo haberi rationem. 10.  
 Tametsi priuati quoque homines, vti iniu-  
 rias possunt irrogare non priuatas tantum,  
 ita mereantur sæpe ad diuinum tribunal in-  
 uitari; tamen sæpius publici iudices, Prin-  
 cipes, Reges, & summa capita, ob summam  
 potestatem, summa iniuria afficiunt subdi-  
 tos; à quibus, cum ad superiorem, in terris,  
 non possit prouocari magistratum; vltima  
 via est, vt ad Deum prouocetur. Hi ergo  
 omnes, nisi iustitiam discant moniti, quot-  
 quot subditos indignè opprimunt, tot me-  
 tuere debent, prouocatores.

## §. XV.

*Infami calumnia interfectus innocens, summo  
 iure experitur, adesse caelestem vindi-  
 ctam calumniam falso iuran-  
 tibus.*

Kranzius  
 lib. 13.  
 Vanda-  
 lia. c. 2.

Sed placet, coronidis loco, subnectere  
 aliud paradigma, quoniam ad hæc tempora  
 peruentum est, vt nulla sufficiant exempla  
 vitijs